

# SUPREMUM TRIBUNAL SIGNATURAE APOSTOLICAE

PROT. N. 55803/21 CA

BUSCODUCEN.

*Reductionis Ecclesiae Sanctae Luciae in usum profanum non sordidum*  
D.nus M.J.A. van Mourik et C.G.M. Verhoeckx – Congregatio pro Clericis

## Memoriale

*adv. partium recurrentium d.nae Annae Sammassimo*

\*\*\*\*\*

### FACTI SPECIES

1. Decreto Exc.mi Episcopi Ierardi de Korte, Episcopi dioecesis Buscoducensis, diei 5 iunii 2020 et ecclesia S. Luciae reducta est in usum profanum non sordidum.

Exc.mus Episcopus Ierardus de Korte, petita ab administratore paroeciali die 7 maii 2020 S. Luciae ecclesiae reductione ad usum profanum non sordidum, audito consilio presbyterali, consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicent habito, aedis sacri clausura decrevit. Sed ipse Exc.mus Episcopus ad rem haud audivit communitatem paroecianorum. Notitia reductionis, enim, paroecianis evulgata est die 15 iunii per litteras in s.d. "Facebook". Reductio dein die 1 iulii 2020 in actum deducta est.

Aliqui christifideles huius paroeciae ecclesiae reductioni in usum profanum sese opposuerunt et litteris 28 iunii M.J.A. Van Mourik et C.G.M. Verhoeckx, decanus et secretarius foundationis *Stichting Loterijfonds Ravenstein* (SLR) rite formaliterque eius revocationem ab Exc.mo Episcopo petierunt.

2. Exc.mus Episcopus die 29 iulii 2020 instantiam reiecit et novum decretum tulit ad reductionem S. Luciae ecclesiae confirmandam.

3. Contra reiectionem iidem recurrentes die 11 augusti 2020 provocaverunt ad Congregationem pro Clericis quae, die 10 augusti 2021, decretum Episcopi confirmavit. Deinde, ipsi recursum coram H.S.T. interposuerunt.

### IN IURE ET IN FACTO

4. Praemittendum est in casu d.ni M.J.A. Van Mourik et C.G.M. Verhoeckx coram hac Signatura Apostolica agunt tamquam singuli fideles et non tamquam repraesentantes alicuius coetus (cfr. Responsio Pont. Comm. C.I.C. authentice interpretando diei 20 iunii 1987 [in AAS 80/1988, p. 1818]). Donc ipsi habent rectam legitimationem processualem.

5. Praemittendum etiam est,

- animadverso quod, ad normam art. 95, § 1 *Legis propriae* H.S.T., «Suspensio, vel ex toto vel ex parte, executionis actus impugnati quolibet in causae statu, adductis rationibus, peti potest», quodque quaestio de petita suspensione concedenda, an non, distincta est a quaestione adhuc disceptanda de illegitimitate, vel minus, actus impugnati;

- considerato quod suspensio actus impugnati tantum concedenda est quantum requiritur ad damnum irreparabile praeveniendum et insuper dummodo recursus fumo boni iuris gaudeat, et ad rem perspecto quod saltem prima facie recursus evidenter fumo boni iuris omnino carere non videtur;
  - perpenso, relate ad fideles qui ecclesiam contra praescripta auctoritatis ecclesiasticae obsidere et cultum divinum in ea publice exercere praesumunt, quod:
    - ad normam can. 1214, ecclesiae nomine intellegitur aedes sacra divino cultui destinata, ad quam fidelibus ius est adeundi ad divinum cultum praesertim publice exercendum;
    - ad auctoritatem vero ecclesiasticam competentem pertinet exercitium cultus divini in ea moderari, decernere dies et horas quibus ecclesia fidelibus pateat vel immo aditum ad eam ad tempus seu spendere iustam ob rationem, v.g., ecclesiae detergendae, ornandae, conservandae vel reparandae causa (cf. cann. 532; 561; 562; 838, § 1; 1210; 1220; 1276; 1279, § 1; 1284, § 2, n. 1, etc.);
    - obsidio ecclesiae, spretis praescriptis auctoritatis ecclesiasticae competentis, a loci sanctitate est omnino absona (cf. can. 1210);
- suspensionem, in casu, concedendam esse.

6. Quoad reductionem ecclesiae in usum profanum non sordidum, memorandum est, in primis, ius canonicum habere «una chiara preferenza della Chiesa per la conservazione delle chiese, a meno che una grave causa non consigli il contrario» (FR. DANEELS, *Soppressione, unione di parrocchie e riduzione a uso profano della chiesa parrocchiale*, in AA. VV., *La parrocchia*, Città del Vaticano 1997, p. 126). Quare «La riduzione di una chiesa a uso profano è un'eccezione al principio» (SUPREMO TRIBUNALE DELLA SEGNETURA APOSTOLICA, *Notes on the Meeting of 27 November 1995* (prot. n. 26600/95/CA), n. 1, cit. in FR. DANEELS, *Soppressione...*, cit., p. 126 nt. 32).

7. Iuxta normam can. 1222, § 1, Episcopus sine dubio ecclesiam in usum profanum non sordidum redigere potest, si adest impossibilitas obiectiva et absoluta adhibendi ecclesiam protinus ad cultum divinum aut eam reficiendi. Sed praeter hanc facti speciem, ut Episcopus redigere possit ecclesiam in usum profanum, omnino oportet ut adsint causae graves, non solummodo iustae, et insuper consilium presbyterale ad rem auditum sit. Enim, ad normam can. 1222 § 2 Episcopum dioecesanum, ob graves causas quae suadeant ut aliqua ecclesia ad divinum cultum amplius non adhibeatur, eandem, audito consilio presbyterali, in usum profanum non sordidum redigere posse, de consensu eorum qui iura in eadem sibi legitime vindicant, dummodo animarum bonum nullum inde detrimentum capiat.

8. Recurrentes tres violationes legis in decernendo asseruerunt. Primo, ipsi contendunt deesse in casu graves causas de quibus in can. 1222 § 2. Secundo, ipsi tenent quod reductionem ad usum profanum aedificii ecclesiae S. Luciae magnum detrimentum spirituale pro paroecianis constituit. Tertio, recurrentes asserunt decretum graves contentiones inter paroecianos suscitasse ad detrimentum boni communis.

9. Quoad primam assertam violationem legis in decernendo, norma canonica relate ad aedem sacram observanda exigit ut iudicium Episcopi de ecclesia in usum profanum redigenda fundamento obiectivo, scilicet causa gravi, innitatur. Exc.mus Episcopus de duabus rationis motivis locutus est, nempe de “carentia vigoris” (*necessary vitality*)

communitatis paroecianum et de recta administratione bonorum Ecclesiae. Sed dicta “carentia vigoris” communitatis esse potest causa ad paroeciam supprimendam (ut evenit, in casu, in anno 2016), minime ad ecclesiam in usum profanum redigendam! Addendum est, etiam, acta causae demonstrare multos laicos laicasque pios piasque symbolo eorundem fidei Catholicae curare. Ad rem, legitur in recurso: «*The commitment of the community of Ravenstein to St. Lucia’s Church is demonstrably strong, which is also evidenced by the demonstration of 14 september 2019, directed against the failure to communicate of the parochial church council (see annex 1) and other meetings organized by the people of Ravenstein in 2018 and 2019*» (Appeal, p. 2, n. 10); et etiam: «*the foundation Stichting Loterijfonds Ravenstein, created in 1729, is as well willing to acquire the church, provided that it can still be used for divine worship, which possibility is not investigated at all*» (ivi, p. 3, n. 13).

De recta administratione bonorum ecclesiasticorum, in primo decreto Exc.mi Episcopi sermo de statu ecclesiae S. Luciae sat genericus evasit. Postea, autem, in secundo decreto Exc.mi Episcopi et in litteris ad Dicasterium pro Clericis misis, dua indicantur motiva ad administrationem bonorum temporalium pertinentia: 1. incapacitatem paroecianorum in loco ecclesiam sustinendi; 2. statum historicum ecclesiae S. Luciae tamquam ecclesiae antiquissimae omnium ecclesiarum in Dioecesi. Sed documenta desunt ad hoc probandum. Contra, documenta a recurrentibus exhibita, contrarium demonstrant. Ad rem in primis notandum est Exc.mum Episcopum ne quidem aestimavisse acquisitionem Ecclesiae a fondatione Stichting Loterijfonds Ravenstein. In secundis, legitur in recurso: «*great weight is given continually to the structural condition of the church, while precisely this grave cause, **if even real at all**, disappears when implementing the intention to dispose of the church*»; (App., p. 2, n. 9). Postremo, recurrentes adfirmant: «*the church was built in 1735, in a century in which Land van Ravenstein, ruled by German Electors, was an oasis of religious freedom in the Calvinistic Dutch Republic; [...] it should not be possible that the city of Ravenstein, founded in 1360, has to continue without a catholic church*» (App., p. 3, nn. 15 et 19).

10. Quoad secundam assertam violationem legis in decernendo, secundum recurrentes paroeciani detrimentum subierunt ob reductionem Ecclesiae in usum profanum quia «*none of the seats in the parochial church council of St. John the Baptist Parish, with its seat in Schaijk – located at 9 km from Ravenstein – of which the Saint Lucia’s Parish of Ravenstein forms a part as of the extinctive union in 2015, is held by a parishioner from Ravenstein, due to serious communication problems*» (App., p. 2, n. 2). Exc.mus Episcopus haud bene providit praefatis necessitatibus. Quare, in casu, reductio ecclesiae in usum profanum vero magnum detrimentum spirituale pro paroecianis constituit et non merum aliquod incommodum.

11. Tertio, recurrentes asseruerunt decretum ansam dedisse gravibus contentionibus, ob rationes motiva iam expositas, cum detrimento boni animarum. Verum est detrimentum boni animarum de quo in can. 1222 § 2 non oriri ex facto quod decretum reductionis ecclesiae in usum profanum aliquibus paroecianis inopportuno visum est vel etiam illegitimum. Sed, in casu, agitur de identitate communitatis, de eius traditione historiaeque necnon de gravibus motivis dictis. Nec obliviscendum est detrimentum animarum bonum, de quo in canone, videri praesertim damnum oriturum ex ipso facto quod ecclesia ad cultum divinum non amplius adhibebitur.

12. Recurrentes etiam violationem legis in procedendo asseruerunt, quia Exc.mus Episcopus cum membris communitatis paroecialis minime de gravibus rationibus ad

ecclesiam in usum profanum redigendam locutum est, etiam si in primo decreto legitur: «... in accordance with the provisions of the Church Code (can. 50), consultations have taken place with parishioners and the local community, as well as with those....» (p. 2). Qui semel iacet... Verum est can. 1222 § 2 haud statuit Episcopum communitatem audire debere sed, in casu, consultatio fuisset magni ponderis quia, inter alia motiva, fideles paroeciae expensas ecclesiae sustinere potuerant et voluerant.

13. Concludendum est, hoc in casu, ex actis constare de optimo statu conservationis ecclesiae (cf. docc. adl. ad recursum), et fideles paratos esse ad necessarios sumptus pro ecclesia sustinendos. Sufficere praeterea nequeunt rationes motivae characteris generalis uti v.gr. reductio numeri sacerdotum vel “vigoris communitatis”, numerus elevatus aedificiorum sacrorum. Necessarium est in singulis casibus probare reapse haberi causas graves. Ex actis vero causae patet determinationem reductionis ecclesiae S. Luciae in usum profanum sic et simpliciter niti proposito generali reordinationis structurae pastoralis. Necessarium autem est diligenter distinguere inter processum reordinationis paroeciarum et determinationem quoad statutum canonicum aedificii sacri.

14. Decisio igitur Exc.mi Episcopi a Congregatione pro Clericis confirmata, infirmanda est, quia in decernendo et in procedendo violavit normam can. 1222, § 2 relate ad reductionem ecclesiae in usum profanum.

Quare, ego infrascripta adv. Anna Sammassimo, patrona recurrentium, omnibus sedulo examini subiectis, petit ut, in casu,

- antea, suspensio executionis reductionis ecclesiae in usum profanum partim concessam sit, ea tamen mente ut pendente recursu, Exc.mus Episcopus ecclesiam destruere vel vendere nequeat, sed curare debeat ut ea, recursu definito, si et quatenus, denuo ad cultum divinum expedite adhiberi possit, utque intere a incolumitati personarum tutandae provideatur.

- deinde, dubium concordatum sit sub formula:

*An constet de violationibus legis in procedendo vel in decernendo relate ad decisionem Congregationem pro Clericis diei 10 augusti 2021.*

Romae, 21 iulii 2022

Maxima reverentia

Adv. Anna Sammassimo



Ps. Adligatum est etiam memoriale partium recurrentium.